

Quæst.
Roma-
nar. 25.
Libr. I. &
II.

nosceret, legisset: RO. mac MA. rtius N. arbo O. riginē C. laret. Aut, si græcam eam haberet, pro S. positam: RO. mac MA. rtius N. arbo O. riginem S. acrat. Valde autem dubito, his in Numis ullum Narboni locum deberi. Quid, si legerem ego? ROM. a A. r cadum N. eptuno O. r din. wit C. onfuali. Nam, teste *Plutarcho*, *Consus*, ignotus Deus, habitus est a plerisque pro *Neptuno Equestri*, quamvis alii *Consiliorum Præsidem* in hoc Numine venerarentur. Afferente deinde *Dionysio Halicarnassensi*, *Consualibus* in festis, Equi, Mulique, floribus ornati, vacabant a laboribus communibus, liberique in circo ludebant. Tantum hic scabest, nisi plus rationis, quam pro Narbone.

DIALOGUS XXIII.

De Mercurio in Numis.

PUBLIUS.

I.

AD Mercurium ordo nunc vertitur tua in Tabula V. ta. sexcentas in artes, & munia versatilem Deum. TULL. Varias & huic Numini cunas affingunt: legitimus ille, qui *Jove & Maja* genitus perhibetur. Agilis ut esset, aut nullis aut levissimis talaribus erat, petasum, i. e. pileum tenuem, illumque alatum, Capite gestans, quin & pedibus alatis. Deferebat virgam, sive perticam, cum implexis anguibus: frequenter & marsupium. Adstabant eidem gallus gallinaceus, item Aries, aut Hircus. Deorum nempe mutuus, aut ad homines, vel horum ad illos Nuncius fuit. Quem cum facundum esse oporteret, Sermonis Præsides erat: apud Aras quidem, dum verba fiebant ad Superos: in Senatu, dum de fœderibus, bello aut pace, aliisque grandibus negotiis agebatur: in Rostris, ubi declamatum fuit: in Domibus negotiatorum, in quibus vendendo, & emendo, quotidiana hominum commercia in-
sti-

fituebantur. Viarum gnarus, non modo omnibus in viis publicis Monstrator adhibitus est: verum & animas quoque, corpore solutas, ad inferos deducere, & inde reducere jubebatur. Sine viatico ne esset, marsupium, & absque scipione ne pergeret, caduceum detulit. Gallum Comitem habuit, a quo excitaretur: Arietem, aut hircum in Annonam. PUBL. Lepidus tu Mythologus: neque vero fabula sanior.

TULL. Dominus *Pluche* omnibus *Mercuriis*, ubilibet confectis, unum dat Patrem *Anubim* Aegyptium, sive imaginem Juvenis, capite canino depicti, ut *Stellæ Canicularis* vicem subiret. Hoc Signum cum populo exponeretur ad prænunciandam propter instantem Nili affluxum celerem fugam, ad montes capiendam: *Anubis* pingebatur alatus, comite Gallo gallinaceo, qui doceret, *Stellam* caninam ante ortum Solis apparuisse. Explorata jam Nili altitudine, unde pendeat venturi Anni sterilitas, aut fertilitas major minorve, virga illi, vel pertica dabatur in manus, cum asserculo transverso, tanquam aquæ, & cubitorum, ad quos ascenderet, mensura. Si fluminis incrementum tantum esset, ut fertilem segetem promitteret, pertica hæc pingebatur cum angue uno implexo, tanquam symbolo Vitæ rite sustentandæ: si Abundantia speranda esset, Angues duo adhibebantur. Et quia Copia frugum spondebat quoque Lucrum ex mercatu cum Phœniciis, ad recreandum hac spe populum *Anubi* dabatur marsupium, addito eidem Capricorno, nempe Signo Mensis Decembris, quo Phœnicii appellere solebant. Tam læta porro Nuncia fas non erat absque festo accipere, quo Grates publicæ largitori bonorum Deo redderentur. Indictio proinde Festi hac eadem imagine fiebat, ut Signis istis Populus causam Sacrorum istorum, suæque devotionis, velut oculis legeret. Ecce antiquissima totius de *Mercurio* fabulæ vestigia.

Vis, ut ea plenius nonnihilo ex Domino *Pluche* evolvam? Dicebatur *Mercurius* esse *Maja* genitus, quia *Pleias*, trium luminum Sidus, Hebreis *Maa*, Orientalibus *Maeab* dictum, unde *Maja* provenit, *Stellæ Canicularis* ortum uno fere Mense semper præbat, & ideo, dum lapsu temporum e Stellis homines, diique fierent, eam peperisse fingebatur. Dictus est *Mercurius*,

II.
Histor.
Cœl. L. I.
Cap. VII.
§. 25.

III.

nomine a *Marcol*, i. e. *Mercator*, & *Marcolet*, h. e. *Mercatura*, profecto, dum Aegyptiis nundinationem frugum cum Phœniciis per marsupium denotasset: Et quia *Marcol*, uti & *Racal* radix ejus, pariter *dolum*, ac *fraudem*, sine quibus raro mercimonia fiunt, in-
 nuebat, *Mercurius* non modo Mercium, sed & fraudum Author evasit. Laudabatur tanquam *Nuncius*, neque vulgaris, sed æthe-
 reus, ac proinde Deorum, cum ad velocitatem fugæ indicandam, cerneretur alatus. Accipiebat in manus virgam Serpentinam, ne Sceptro careret. Et quia Sceptri Nomen apud Hebreos erat *Cadosh*, & personam quamlibet, in cæteris dignam, illud gestan-
 tem, designabat esse *segregatam ab aliis*, inviolabilem, & sanctam, efficiebatur ex *Mercurio* Deus, ejusque sceptrum dicebatur *Caduceus*. Tandem quoniam *Anubis* Aegyptius, alatus, & cadu-
 cifer, ad Festa designanda fuit adhibitus, quæ nunc divina, nunc Funebria, & Mortuorum Anniversaria erant, semperque cum strepitu Musico fiebant: fingebatur *Mercurius* Author Sacrorum, inventor Musicæ, conductor Manium ad inferos. Propter quod postremum Officium, ab Hebreo *Cillaion*, i. e. *ultima Consummatio*, eidem *Cyllenii* cognomen affectum est.

IV.

PUBL Nihil hic est, quod mihi novum non sit, quodque non eximie placeat. Tu porro non solum sæpenumero mihi Caduceum, ut Symbolum Felicitatis, Concordiæ, Pacis pinxisti: sed & *Mercurium* ipsum in Petaso alato, cum caduceo, & crumena, e Numo meo *Probi* delineasti, cum lemmate: PIETAS AUGG. *ustorum*, Part II. Tab. IV. n. 12. ac de eodem differuisti Dial. XII. n. 9. ac 10. item Dial. XIII. n. 3. & 4.^{to}. In hac vero præsentis Tabula tua Numus Nonus longe præstantiorem imaginem habet. *Mercurius* enim nudus, cum levissimo palliolo, insidet rupi, petaso alato tectus, dextra Capricorni caput attingens, læva caduceum gestans. Epigraphen: C. L. I. COR. tu mihi, oro, ut legas.

TAB. V.
N. IX.

V.

TULL. Ea sic habet: C. *olonia* L. *aus* J. *ulia* COR. *inthus*. Celebris hæc olim Græcorum Respublica ad Isthmum, proxime Moream, diuturno a Romanis bello demum subacta, & funditus exusta, cum centum fere annis in ruinis jacuisset, per Coloniam, illuc a *Julio Caesare* missam, reparata fuit. Unde Nomina eju
 Co⁵

Colonia Laus Julia: quibus aliquando additur, *Felix Augusta*. Scripsit ad Corinthios, novos Colonos D. Paulus Apostolus. Nunc Locus iste, Pagus magis quam Oppidum sub jugo Turcico, dicitur *Coranto*. Hunc porro Numum æris medii, pictum apud Cl. Patinum, Colonia ista signabat L. Vero Augusto. Rupes, cui *Mercurius* insidet, vel denotat *Acrocorynthus*, rupem altissimam cum arce superstructa, huic Urbi vicinam: aut forsitan acervum Lapidum innuere posset, e quibus ita dictæ *Statuæ Mercuriales* publicis in Viis constabant. Fuerunt illæ columnæ quadratæ, ligneæ, aut lapideæ, in summo cum capite *Mercurii*, inferius, cum Inscriptionibus, Viatores docentibus, quænam esset hæc via, quam longa, quo duceret. In ejusmodi *Mercurium* transeuntium quilibet lapidem injiciebat, ut inde maximi acervi evaderent. Petasii alati, Caducei, Capricorni originem ex Domino *Pluche* audisti. Quam vero ignorantes vetusti fabulatores, finxerunt, *Mercurium* etiam Pastorum Deum, jam hircum, jam arietem, jam ovem eidem adjungendo.

Imp. p.
205.

PUBL. Numum decimum æque singularem jam recensuisti mihi, non tamen tunc pinxeras Part. II. Dial. XII. n. 9. ac 10. Aereus ille magnus, vulgatus a D. Liebe Goth. Numar. p. 285. est *Septimii Severi*, sistitque *Mercurium Gallorum*, qui in eo Solem, inque Sole Numina fere omnia coluerunt, victimis crudelibus, & humanis cum placantes. Adstat ille cum levi palliolo, capite radiante, ut Apollo, dextra caduceum serpentinum, qui etiam Aesculapium innuere possit, secum deferens, lava sustinens tridentem Neptuni: caduceo etiam spicæ Cereris adjunctæ. Pone S. C. Circum: SAECULO FRUGIFERO: & residui ex Adversa Severi tituli: TR. P. or. COS. ul. TULL. Parem æris medii Numum *Albini* pinxit Cl. Patinus p. 221. hoc solo cum discrimine, quod Spicæ a caduceo absint. Suffragantur hujusmodi Numi Domino *Pluche*, qui plurimorum Deorum incunabula unus ad Signi Aegyptii, pro ratione temporum varie immutatam figuram, perpulchro ingenio reducit.

VI.
TAB. V.
N. X.

Quo similiter conspirant plurimæ apud *Montfoconium* imagines *Mercurii*, rarius quidem ex Numis, copiose vero ex æneis, aut lapideis iconibus, vel Gemmarum ectypis apud *Gorlaeum*, conglomeratæ. In quibus videas hunc Deum, per meram Artificum

VII.
Tom. I.
Part. I.
Tab.
LXVIII

usque
LXXVI. licentiam, nunc hirco, aut elephanto inequitare : nunc Solis habere faciem : nunc infantem gestare devorandum, Saturni schemate : nunc tridentem ferre, quasi Neptunus foret : nunc Luna super Petasum radiare : nunc faces Proserpinæ, vel Cereris, nunc thyrsus Bacchi, nunc Cornucopiæ, uti Fortuna, secum deportare : perspicuo argumento, fatuos idololatrias ex uno Mercurio plurimos, nisi omnes Deos fabricasse.

VIII. Apud Cl. *Patinum* inter Numos *Julia Severi* exstat unus *Er-*
Imp. p. *mionensium* in Peloponneso, ubi *Mercurius* etiam pedibus alatus
232. adstat. Item *Corinthiorum*, qui *Caracalla* signatus est : in quo, ut
Ibid. p. supra, pariter insidet rupi, cum ove ante se. III. *Spanhemius* lau-
238. davit Numum *M. Aurelii* : qui circum imaginem alati *Mercurii* cum
Tom. I. crumena, Galloque gallinaceo stantis, legitur : RELIG. IO AU-
p. 268. G. *usti*. Adhæc *Gallieni* Numum paris imaginis, cum epigraphe
Ibid. autem : DONA AUG. *usti*. Qui ambo cum tuo superius com-
Tom. II. memorato, ubi PIETAS AUGG. *ustorum*, Deum hunc ut Sacro-
P. 527. rum Authorem commendant. Apud *Argelatum* in *Gallieni* Numo

In Me- scribitur : MERCURIO CONSERV. aTORI AUG. *usti*. In *Postu-*
diobarbo- restituto. mi Numis legitur : MERCURIO FELICI, Item : MERCURIO
refstituto. PACIFERO.

IX. PUBL. Nos proverbio dicimus, non ex quolibet trunco fieri Mercurium : sed apud veteres, ut ex te audio, ex uno Mercurio Deum quemlibet fabricare, res cuius integra fuit. Dimittamus autem hunc alitem Deum, de quo *Prudentium* cecinisse

Contra legi :
Symach.
I. 86.

Expertes furandi homines hac imbuunt arte
MERCURIUS *Maja* genitus.

III. de Neque enim ego pari sum voto, quo vetustissima ætate sua *Op-*
Piscatio- *pianus* fuerat, supplicans :
ne.

MRRCURI, tu mihi patrite, præstantissime
Filiorum
Jovis, lucrosissimum inter homines ingenium
(scil. Mercatorum) ostende.

TULL. Nescio sane, utrum hoc Poëta pari voto esse, atque damnari nolles, si *Mercurius* tibi tantum, quantum ipsi, fa-
veret. Pro quolibet etenim sui hujus carminis versu a *Caracalla*
Imperatore, cujus honoribus illud inscripserat, Solido, i. e. au-
reo Numo donatus fuit.

DIALOGUS XXIV.

De Baccho, seu Libero Patre.

PUBLIUS.

Vino madidum, sed jucundum Deum, unico Numo
Tabulæ tuæ V. tæ. undecimo in scenam producis, juve-
nem, nudumque stantem, cum thyrso, & botro: ad
pedes ejus hinc *Panthera maculosa*, inde *Satyrus* pe-
tulciens. Epigraphæ græca est: *KΑΙΣΑΡΕΩΝ ΑΘΗΝΩΝ*: id est,
Cæsarensium Aegenensium, nisi fallar. *TULL.* Ubi fuerint hi Po-
puli, ignorare se fassus est *Cl. Patinus*, qui hunc æris medii Num-
mum *Caracalla* attulit p. 245. *PUBL.* Ego porro jam vidi Deum
hunc in gemino *Pegaseorum*, & *Coreyreorum* Numo: quos in exer-
citat. Procem. Tab. II. n. 2. ac 3. mihi pinxisti, & exposuisti
Dial. V. n. 8. sqq. Ubi didici, *Bacchum* alio nomine *Dionysium*,
item *Libero Patrem*, omni forma, pueri, juvenis, ac senis, Vi-
ri præterea, & sceminae proponi, quod Vinum omne genus homi-
num in lætitiâ solvat, animoque a curis libero reddat. Sæpe
præterea igne, aut stella denotari, quod *Jovis*, ac *Semela* filius,
inter ignes conceptus fuerit, ipsoque pro Sole sumatur. Tigri-
des, Lynces, *Pantheras*, aliasque maculosæ pellis bestias, eidem
oblatas esse, & adjunctas, quæ cœli stellati quamdam similitu-
dinem referrent, *Thyrsum*, cantharos, vites, uvas eidem addi,
liberalis potus, ac genialis lætitiæ symbolo.

I.
TAB. V.
N. XI.

Me-